

archiepiscopus suique successores sibi et ipsi ecclesie Treverensi applicare pleno iure valeant, reclamacione seu contradictione femellarum, agnatorum vel cognatorum decedentis huiusmodi qualibet non obstante, nisi dicti agnati seu cognati vel femelle per litteras evidentes vel aliis modis legitimis ostenderint, quod huiusmodi feoda ad ipsos sint pociori vel speciali iure merito devolvenda.

(3) Item proprietates vel feoda dicti archiepiscopi suorumque successorum vel ipsorum subditorum quacunque occasione vel causa absque ipsorum consensu per aliquem nolumus occupari et restitui precipimus taliter occupata; et cum ipsis feoda aliquo pretactorum modorum seu alio quolibet vacaverint vel ad ipsos devoluta fuerint seu cum ea evicerint, indulgemus et volumus, quod ipsi per se et suos auctoritate propria et sine ulteriori cuiusquam requisicione feoda huiusmodi apprehendere et se modis et viis, quibus voluerint, intromittere valeant de eisdem et per consequens de feodis huiusmodi disponere possint et debeant pro sue beneplacito voluntatis.

(4) Item volumus et predicto archiepiscopo et suis successoribus concedimus graciose, quod quocienscumque aliquem patrem familias infra dominium seu palas dicte Treverensis ecclesie commorantem seu residentem relictis liberis inpuberibus decedere contingat, tutela testamentaria vel agnatorum legitima deficiente prefatus archiepiscopus eiusque successores de tutela dictorum inpuberum se intromittere possint ac amministrationem bonorum et rerum ipsorum sibi assumere sine tamen iuramentorum prestacione et aliarum solemnitatium, que in assumendis tutoribus requiruntur. Et huiusmodi etiam nostram concessionem ad feoda dicti archiepiscopi et sue ecclesie ubicumque sita, si ea obtinentes relictis liberis inpuberibus huiusmodi feoda capacibus decesserint, videlicet, quod dictus archiepiscopus et sui successores tutelam dictorum inpuberum seu amministrationem, quo ad ipsa feoda habeant, extendendam duximus et extendimus per presentes¹.

1) Dem § 1 des Lehnrechtstatuts entsprechen, wörtlich miteinander übereinstimmend, L 32 XV und *L 39 XIV: 'Item sententiam latam Bopardie et approbatam sententialiter ab omnibus principibus, magnatibus, baronibus, nobilibus et fidelibus sacri imperii tunc presentibus coram felicis recordacionis Rodolfo Romanorum rege, predecessore nostro, de feodo non recepto infra annum et diem ac de feodi alienatione confirmatam per ipsum Rudolfum et deinde per dive recordationis Henricum imperatorem septimum, tunc Romanorum regem, predecessorem nostrum, confirmamus, approbamus et iuxta omnem ipsius modum et continentiam